PROLUSIO

QUA

EXAMEN PUBLICUM

IN

SCHOLA LITERARIA CHRISTIANIENSI

HABENDUM

INDICIT

RECTOR SCHOLÆ

Insunt nonnulla: *de modis temporibusque enuntiationum conditionalium Græcæ Latinæqve lingvæ;*

AUCTORE **Fr. Lud. Vibe,**

COLLEGA SCHOLÆ.

CHRISTIANIÆ.

Ex Officina Lehmanniana.

MDCCCXXX.

INTER omnia antiqvitatis studia nescio, an sit nullum, qvod aut ad veram atque integram veterum litterarum cognitionem adeoque ad communis humanitatis sensum rite comparandum magis necessarium sit, aut animum magis ad se adliciat delectetque, qvam qvod in subtilioribus veterum lingvarum grammaticæ partibus collocatur. Qvorum in altero ut non vereor, ne qvem mihi repugnantem habeam, ita ad alterum plures videre mihi videor mirantes atque obloqventes: necessariam qvidem esse accuratam grammaticæ rationis cognitionem, eaque puerorum jam summo opere animos imbuendos, at, qvæ in minutissimis sæpe levissimisque rebus animadversionibusque indagandis solliciteque conqvirendis, in omnium dictionum, loqvendi generum etc. rationibus ex intimis humanæ mentis recessibus repetendis penitusque investigandis, ponatur opella, vanam illam qvidem et inanem dicunt alii, alii minus fastidiosi, si non inutilem, at jejunam certe, ingratam, putidam. Quorum alteri mihi ne refellendi quidem videntur; qui, cum accuratam grammaticæ notitiam necessariam quidem esse facile concedant, iidem autem, quos in illa arte profliganda et qvantum possint excolenda acerrimum studium collocantes vident, oleum atque operam perdere contendant, nihil dicunt et minime sibi constant; alteri autem, qui fructus quidem percipere volunt, cum consummatas jam et cuique loco aptas præceptiones, qvas diligenter ediscant, et ubi opus sit, paratas jam ex memoriæ suæ penu depromant, præberi sibi velint, percipiendi autem et comparandi laborem detrectent, aut in desidiæ aut tarditatis crimen merito incurrunt. Verum noluerim hoc loco grammaticorum patrocinium suscipere, neque patrono indigent illi quidem. Hoc tantum monitum volui, nec inutilem illos, qui huic rei studium et otium suum adjungant, suscipere operam, nec injucundam; imo summam inde, si recte et cum ratione instituatur, ad communia litterarum studia redundare utilitatem. Id quod inde etiam confirmatur, quod proximis decenniis toto litterarum orbe, inprimis in Germania (vellem in patria quoque dicere liceret) revixit et mirifice aucta et instaurata est grammatica ars. Attamen, qvamvis diu jam viguerint vigeantque

etiamnunc hæc studia, sunt tamen partes qvædam, quibus nondum tantum lucis accessisse videatur, ut pro absolutis jam satisque exploratis haberi possint, quique in iis elaborandis illustrandisque operam collocent, acta agere jure judicandi sint. Qvamobrem cum ad hanc scholam equidem accessissem, nihil antiqvius habui, quam ut rectam veramque grammaticæ artis cognitionem et ipse contraherem, et optimam certissimamque rationem, qua disciplina ejus pueris traderetur, circumspicerem. Atque cum a sanctissimo scholæ nostræ moderatore hoc ad me delatum esset munus, ut proludendi officium susciperem, facile accidit, quum in eligendo argumento dubius hærerem, ut ad eas grammaticæ partes converterem animum, qvarum intelligentiam captui puerorum difficillimam esse ipse eram expertus. Inter has autem partes principem locum tenere doctrinam de vero usu modorum et temporum (qvorum ratio ut exploratu est jucundissima, ita ad intelligendum planeque explicandum difficillima) cum facile sensissem, hæc autem universa latiorem præberet campum, quam qui his pagellis rite peragrari posset, unum locum mihi selegi, eumque inter difficiliores difficillimum: d e u s u m o d o r u m t e m p o r u m q u e i n e n u n t i a t i o n i b u s c o n d i t i o n a l i b u s. In qvo hanc ingressus sum viam, ut in Græcorum prius usu explorando et firmando elaborarem, exploratumque deinde cum usu Latinorum contenderem, cum quod ejusmodi comparatio per se ipsa magnam adferre voluptatem mihi videbatur, tum maxime, qvod in variis generibus distingvendis Græcos intellexi Latinis constantiores fuisse, atque adeo utriusque lingvæ usu inter se collato, summæ rei majorem lucem accessuram speravi. Quum autem omnes grammaticæ præceptiones ex exemplis, de optimis scriptoribus depromptis, rectaque eorum interpretatione summam sibi perspicuitatem accipiant, iisque egregie confirmentur, eorum copiam non minus largam quam summa diligentia delectam addidi. In quo hoc mihi proposui, ut in utraque lingua unum potissimum scriptorem, cujus consvetudinem explorarem, tanquam optimæ orationis exemplar sumerem. Itaque in Græcis maxime secutus sum Atticam apem, Xenophontem, in Latinis illum, cui puræ et elegantis orationis palma omnium consensu dicata est, Ciceronem, utrique tamen non ita addictus, quin ad alios etiam descenderem, si quid in iis ad propositum meum nactus essem accommodatum. — Denique noli putare, hanc scriptiunculam plenam atque absolutam esse hac de re commentationem. Singula enim, abstrusa quoque et insolentia, persequi et scrutari nec hujus fuit temporis nec loci. Neque vero, quum id potissimum agerem, ut meam de summa rei, ipsorum scriptorum veterum lectione conceptam, sententiam exponerem, studiosæque juventuti rem facerem

expeditiorem, in aliorum sententiis percensendis refellendisve, aut antea jam dictis undique conquirendis admodum studiose elaboravi. Itaque pauca, quæ dedi, si aliis levissima visa fuerint, aliis explorata jam et satis sibi cognita, sive quis totum hunc locum latius patere, atque universam modorum temporumque rationem attingere objecerit, equidem non repugnaverim, sed concedam facile. Et hæc quidem hactenus. Ad rem adgrediamur.

In qvavis conditionali enuntiatione aliquid sumitur, id qvod indicat particula εἰ, s i. (*) Tali autem enuntiationi subnexam esse necesse est alteram, in qva consecutio rei sumtæ seqvatur. Illa est prodosis, hæc apodosis connexi. Utraqve continetur judicium, ut Logici dicunt, hypotheticum. In omni autem judicio hypothet., logicis præceptionibus rite proposito, qvod sumitur, rationem continet, unde necessario efficitur, qvod conditioni adstrictum est (res conditionata), adeo ut conditio semper contineat rem ejusmodi, qva effici aliqvid nesesse sit, qva in re posita est conseqventia illa, qvam inter conditionem et rem conditionatam necessario intercedere Logici dicunt. Verum alia est vulgaris sermonis ratio. Hic enim non semper tale qvid sumitur, sed sæpissime ejusmodi qvoqve, sine qvo aliqvid effici non possit. Qvod praemonitum volui, ne putes, omnia connexa ad logicas præceptiones semper esse exigenda; neqve vero ad rem nostram pertinet, utrum vera inter prodosin et apodosin intercedat conseqventia, nec ne. Qvodsi in vulgari sermone nil unqvam aliud spectaret is, qvi loqvitur, qvam ut necessariam illam conseqventiam indicaret, mirum non fuit, si uno tantum modo semper efferrentur enuntiationes conditionales. Qvod longe aliter est. Qvatuor enim genera modis temporibusqve diversa in Græcis certe cuiqve statim offeruntur; id qvod certas suas causas habere necesse est. Et habet sane. Nam ex sola propositione conditionali logica per se spectata nil conficitur. Nihil affirmatur nisi conseqventia illa. Ad justam autem ratiocinationem conficiendam aliqvid necesse est aut adfirmari aut negari, verbo adsumi, qvod in syllogismo hypothetico continet propositio minor s. adsumtio. Qvicunqve igitur enuntiationem conditionalem profert, ejus animo etiam obversari necesse est non solum veritatem conseqventiæ inter conditionem et rem conditionatam intercedentis, sed etiam veritatem aut falsitatem sumtæ rei. In ea autem notione, quam hac de re conceperit is, qvi loqvitur, posita est tota hujus ratio-

---

*) Necessariam autem non esse particulam ad enuntiationem conditionalem efficiendam, ex se intelligitur, usuque confirmatur, quanquam sæpissime per particulam res inducitur.

nis varietas. Nec vero justis argumentationibus conficitur semper oratio, qvod si ita esset, langvida sæpe esset atqve elumbis. Imo variari orationem oportet, nec semper potest vel debet adstricta illa ratio logica in vulgari sermone adhiberi. Hinc fit, ut in ratiocinationibus sæpe conclusione supersedeatur, sæpe adsumtione, sæpe utraqve, qvod aut id, qvod ex ratiocinatione conficitur, perspicuum est, aut qvid adsumat auctor, ex nexu sententiarum et enuntiandi modo perspicue satis apparet. Itaqve sæpe inferuntur argumentationes bipartitæ (ut loqvitur Cic. Instit. rhetor. 1. 37 sq.), sæpe ex una qvoqve parte constat argumentatio. Etiam extra argumentationes, ubi sola propositio conditionalis enuntiatur, nec potest in præsens de veritate rei sumtæ certam notitiam habere auctor, necesse tamen est, id ipsum respiciat, et in certum qvendam finem enuntiationem suam proponat. His vero præmonitis munitam mihi video viam ad rem ipsam adgrediendam, in qvo, ut supra dixi, Græcorum prius usum excutere conabor.

Vana autem est atqve inanis grammatica omnis disputatio, nisi ex optimo orationis genere communiqve usu initium duxerit; qvo cum accesserit philosophiæ lux, tum demum solidum opus, firmis fundamentis fultum, rite superstrui poterit. Qvare hac qvoqve in disputatiuncula a diversis hujus rationis generibus, qvæ diligenter legentibus statim offeruntur, profecti, qvænam deinceps singulis subjecta sit vis et potestas, eruere conabimur. Qvatuor autem genera esse, supra jam dixi:

1) Enuntiationes conditionales in modo Indicativo propositæ.

2) In modo Conjunctivo.

3) In modo Optativo.

4) Cum temporibus conditionalibus, qvæ vocant (Imperfecto et Aoristo Indicat.)

Qvanqvam autem singulis hisce generibus singulæ omnino subjectæ sunt notiones, non tamen adeo firmis vinculis adstrictum esse usum, hic jam præcipiam, ut singulas res et sententias, per se animo præceptas, eundem ubiqve usum et modum apud veteres scriptores conseqvi invenias, qvin aliqvid scribentis arbitrio relictum sit. Libera est humana mens, et libertatem hanc in suis sibi cogitatis enuntiandis studiose et pro suo jure servat. Qvod nisi ita esset, nulla foret orationis varietas et distinctio, nulla propria cujusqve scriptoris indoles et color, qvi inprimis arridet delectatqve, omnia vero langvida, frigida, putida. Qvare valeant, si qvi putent, omni loco suam præceptam sæpe rei notionem idem semper seqvi enuntiandi genus, certasqve sibi præceptiones dari velint, ad qvas, nullo fere judicio et circumspectione adhibita, aut suam orationem com-

ponant aut vetera monumenta exigant et temere corrigant. Verum ad meliora jam rediit sana grammatica et critica ratio. Qvamobrem cum in aliis, et longe plurimis, fidenti animo affirmare liceat, rem qvandam hoc vel illo modo unice recte enuntiatam esse, nec aliter, eadem sententiæ vi subjecta, recte idem fieri posse, in aliis sæpe accidit, ut nullo vel levissimo certe discrimine, qvod ut interdum non nisi acerrima mentis agitatione indagari potest, ita sæpe melius animo concipitur, qvam verbis explicatur, varie et pro arbitrio eadem res, manente sententiæ vi, enuntiari possit.

Primum autem genus conditional. enuntiationum per particulam *εἰ* cum modo Indicativo infertur. Hoc locum semper habet, ubi aliquid pro vero sumitur i. e. pro certo et indubitato taliqve, qvod itane sit, annon sit, in præsenti sciatur, vel sciri saltem possit. Qvod igitur sic pro vero sumitur, id sumitur, ut qvod illo ipso temporis vestigio, qvo sumitur, aut jam sit, aut, si ad futurum pertinet tempus, in præsens tamen jam sciatur, utrum re vera futurum sit, nec ne, adeo ut ex hac scientia complexio jam fieri possit; qvod si aliter est, sive ita sumitur, ut indicetur simul, hoc in futura cognitione positum esse, nil in præsenti (in propositione minori) adsumi potest i. e. pro vero certoqve haud sumitur. Seqvitur autem, particulam *εἰ* tali modo jungi posse cuiqve tempori præsenti (præsenti in praes., præterito in praes.) et futuro. Est autem tale connexum propositio major syllogismi hypothetici, qvæ conseqventiam tantum inter prodosin et apodosin intercedentem affirmat, nec qvidqvam inde concludi potest, nisi subnexa adsumtione, sed ita semper usurpatur, ut inde aliqvid in præsenti jam concludatur, vel certe jam concludi possit. Dupliciter autem fieri potest conclusio. Aut enim rem, qvam continet apodosis, (qvod sæpissime fit) aut qvæ prodosi continetur, affirmatam vult auctor, aut nil ipse affirmare curat, aliis autem ratiocinationem concludendam relinqvit. Locum igitur habet:

a) Ubi rem, qvam in prodosi sumit, veram etiam esse persvasum habet, putat auctor, sumit autem, ut inde conclusio fiat ad rem, quam apodosis complectitur. Existit igitur conclusio in modo ponenti facta, ut dicunt Logici. Hæc ratio freqventissima est in argumentationibus philosophicis, quibus veritas rerum probatur. Velut in notissimo illo Lucianeo: *Εἰ γὰρ εἰσὶ βωμοὶ, εἰσὶ καὶ θεοί. Ἀλλὰ μὴν εἰσὶ βωμοί. Εἰσὶν ἄρα καὶ θεοί.* En plenum atque absolutum syllogismum tripartitum. Prior propositio, ex se considerata, de ipsa rei veritate nil nec affirmat, nec negat, imo veritatis vel falsitatis ratio nulla omnino habetur, adeo ut, sintne aræ nec ne, dubitatio subesse non possit. Sed verum ita sumitur, ut quod mox in altera propositione sit affirmandum.

Plena autem talis argumentatio ac tripartita in vulgari sermone rarior est. Sæpissime enim fit, ut connexum solum proferatur, omissa adsumtione, quod perspicua sit illa quidem, et per se intelligatur. Quod aut fit, quum ex antecedentibus jam patet, quænam sit de adsumtione auctoris sententia, aut ejusmodi aliquid sumitur, quod verum etiam esse neminem negaturum arbitretur auctor, vel facile sibi quemque concedere, vel suo jure sumere se putet. Verum inspiciamus exempla, unde omnia hæc fore spero magis perspicua. Xenoph. Anab. 2. 10. 13. *ἴσθι μέντοι ἀνόητος ὤν, εἰ οἴει ἂν τὴν ὑμετέραν ἀρετὴν περιγενέσθαι τῆς βασιλέως δυνάμεως.* Sumit verum jam esse, Theopompum hoc putare, nil dubitationis verbis inest, nec potuit hac de re dubitare Philinus, quoniam dixerat jam Theop., suam esse hanc opinionem. Hom. Il. 1. 39 sq. — *εἴ ποτέ τοι χαρίεντ' ἐπὶ νηὸν ἔρεψα, ἢ εἰ δή ποτέ τοι κατὰ πίονα μηρί' ἔκηα ταύρων ἠδ' αἰγῶν, τόδε μοι κρήηνον ἐέλδωρ.* cfr. 4. 362. 1. 564. *εἰ δ'οὕτω τοῦτ' ἐστὶν, ἐμοὶ μέλλει φίλον εἶναι* cfr. 178 etc. (Hic particula *εἰ* sæpe nostrum est: faafandt fom.) Xen. Mem. 3. 6. 18. Socrates, Glauconem a capessenda republica avertere conatus, tandem hæc addit: *Εἰ οὖν ἐπιθυμεῖς εὐδοκιμεῖν τε καὶ θαυμάζεσθαι ἐν τῇ πόλει, πειρῶ* — etc. si clarum in republica fieri te cupis, qvod sane te jam cupere verisimile est, adeo ut pro vero jam hoc sumere possim. Huc pertinet inprimis particula *εἴγε*, qvæ plerumqve de re usurpatur, qvam sic esse sumit aliquis, et jure cumqve ratione sumere se indicat. (cfr. Herm. ad Vig. 512 p. 833 sq.) Xen. Mem. 3. 10. 14. Socrates Pistiæ, loricarum fabro, respondet: *Ἀλλὰ μὴν, εἴγε διὰ ταῦτα μὴ ἁρμόττοντας (θώρακας) ὠνοῦνται, κακὸν ἔμοιγε δοκοῦσι ποικίλον τε καὶ ἐπίχρυσον ὠνεῖσθαι.* Hoc verum sumit, et recte se sumere indicat; nam paulo ante (14) hoc ita esse ipse dixerat Pistias. Ibid. 4. 2. 36. ubi captiosis Socratis qvæstionibus in angustias redactus Euthydemus tandem dicit: *ἀλλὰ μὴν, εἴγε μηδὲ τὸ εὐδαιμονεῖν ἐπαινῶν ὀρθῶς λέγω, ὁμολογῶ μηδὲ, ὅ τι πρὸς τοὺς θεοὺς εὔχεσθαι χρὴ, εἰδέναι.* Qvod enim de felicitate antea dixerat Euth., refellerat jam Socrates. Eadem fere est ratio particulæ *εἴπερ* sq. Ind. Herm. qvidem (l. c.) hanc part. ita ab *εἴγε* differre contendit, qvod illa (wenn anders) de re usurpetur, qvæ esse sumatur, sed in incerto relinqvatur, utrum jure an injuria sumatur, hæc autem (wenn denn) de re, qvæ jure sumpta credatur; id qvod vereor, ut semper ita se habeat. Sæpissime enim utraqve particula de re usurpatur, qvam jure sumptam credit auctor, sed ita fere, ut *εἴγε* usurpetur de re, cujus veritas ex rationibus aut jam allatis, aut cuiqve se offerentibus necessario ita seqvatur, ut aliis etiam vera videri debeat; *εἴπερ* autem de re, qvæ loqventi qvidem vera videatur, vel de qva sibi non dubitandum putet, cujus autem veritas

tam perspicua non sit, nec esse possit, ut aliis etiam necessario appareat; ita v. c. de re, qvæ in alius voluntate, consilio, arbitrio posita est. Id qvod suspicatum fuisse etiam H. forsan putaveris. Addit enim: "εἴπερ δοκεῖ σοι dicimus ei, de qvo non certo scimus, qvid ei placeat, aut de qvo id nescire simulamus;" vel, ut mihi videtur, ei, cujus sententiam, consilium, nisi ipse annuerit, pro certo qvidem re vera scire non possumus, pro vero tamen et certo jure sumimus, eum nón negaturum persvasum habentes, nec adeo ipsius adsensionem curantes. Fit igitur, ut modeste et urbane hæc particula usurpetur (interdum ironice fere et dissimulanter) de re, qvam velut in alius arbitrio et adsensu sitam proponimus, minime tamen dubitantes ipsi. Qvare etiam εἴπερ plerumqve indicat conditionem, sine qva efficiendum non sit conseqvens, contra εἴγε potius rationem, cur affirmetur. cfr. Xen. Anab. 6. 1. 4. Plat. Gorg. 18. Hoc autem discrimen mihi inesse etiam videtur germanicæ Hermanni interpretationi nostroqve dersom da, dersom ellers. Attamen εἴγε non solum nostrum dersom da significat; hanc enim notionem tunc modo servat, cum aliqvid ex iis, qvæ jam dicta sunt, satis apparet, sed respondet etiam nostro: dersom ellers, nemlig, si qvid tale sumitur, cujus veritas per se omnibus pateat. Xen. Mem. 1. 5. 3. ὁ ἀκρατὴς — ἑαυτοῦ πολὺ κακουργότερος, εἴγε κακουργότατόν ἐστι, μὴ μόνον τὸν οἶκον τὸν ἑαυτοῦ φθείρειν, ἀλλὰ καὶ τὸ σῶμα καὶ τὴν ψύχην. Cyr. 3. 1. 17. Si εἴγε usurpatur, subest: qvod satis apparet, qvod necessario seqvitur, negari non potest etc., sin εἴπερ — qvod eqvidem sane puto, qva de re non dubito etc. Excutias velim exempla, supra de εἴγε adlata, qvibus adde: Mem. 3. 8. 9. οὐκοῦν, εἴγε καλῶς ἔχει ταῦτα οὕτω γίγνεσθαι, (id qvod ex antecedentibus tibi apparere debet) οἰκοδομεῖν δεῖ etc. Cyrop. 2. 2. 3. En pauca de εἴπερ. Mem. 3. 6. 3. οὐκοῦν τοῦτο μέν, ὦ Γλαύκων, δῆλον, ὅτι, εἴπερ τιμᾶσθαι βούλει, ὠφελητέα σοι ἡ πόλις ἐστίν (et velle te hoc minime dubito) 4. 2. 18. μετατίθεμαι τὰ εἰρημένα, εἴπερ ἔξεστι. Interdum etiam utraqve particula jungitur: Anab. 1. 7. 9. Οἴει γάρ σοι μαχεῖσθαι, ὦ Κῦρε, τὸν ἀδελφόν; Νὴ Δί', ἔφη ὁ Κῦρος, εἴπερ γε Δαρείου καὶ Παρυσάτιδός ἐστι παῖς.

Cum igitur sæpe sic particula εἰ sq. Ind. usurpetur, ubi ex sententiarum nexu satis patet, conditionem veram esse putare auctorem, inde sæpe etiam fit, ut particula εἰ eandem fere vim habeat, ac particula causalis: ἐπεί, ὅτι, quum, quoniam, quia (cfr. Matthiæ gr. Gr. 617. 3 p. 1252), ut conditionaliter enuntiet auctor, quod æque bene per particulam causalem inducere licuisset, manente sententia, forma autem diversa. Quod per causalem particulam effert auctor, id indicat re vera ita esse. Quod conditionaliter profert, illud quidem verum solummodo su-

mit. Sed si satis etiam patet, quod sumit, verum etiam esse eum putare vel scire, fit etiam, ut pro causali part. usurpari possit conditionalis. Verumtamen rite teneas, hanc vim inesse sententiarum contextui ac rationi, conditionalis enuntiationis formæ non item; necessarium autem esse modum Indicat. satis apparet. Exempla vide supra, quibus adde: Xen. Anab. 6. 1. 26. Ἐγὼ, ὦ ἄνδρες, ἥδομαι μὲν ὑπὸ ὑμῶν τιμώμενος, εἴπερ ἄνθρωπός εἰμι (quandoquidem-ἐπείπερ.). Ut pro ἐπεί, ita partic. εἰ cum Ind. sæpe etiam pro ὅτι, quod, usurpatur, in re, quam non solum sumtam vult auctor, sed re vera etiam ita esse affimare. Tali modo εἰ pluribus verbis jungitur, inprimis θαυμάζειν, θαυμαστόν ἐστι, ἄχθεσθαι, χαλεπῶς φέρειν etc. (cfr. Matth. p. 1251). Xen. Mem. 4. 8. 6. Socrates Hermogeni: Θαυμάζεις, inquit, εἰ τῷ θεῷ δοκεῖ βέλτιον εἶναι, ἐμὲ τελευτᾶν τὸν βίον ἤδη; quod ita esse, aliis verbis paulo ante ipse dixerat Socrates. Cyrop. 1. 6. 46. 2. 1. 16. Εἰ δὲ μὴ πᾶσιν ἐθέλουσι (θεοὶ) συμβουλεύειν, οὐδὲν θαυμαστόν. οὐ γὰρ ἀνάγκη αὐτοῖς ἐστιν, ὧν ἂν μὴ θέλωσιν ἐπιμελεῖσθαι. Etiam in re jam facta cum perfecto. Anab. 3. 2. 17. Μηδὲ μέντοι τοῦτο μεῖον δόξητε ἔχειν, εἰ οἱ Κυρεῖοι, πρόσθεν σὺν ἡμῖν ταττόμενοι, νῦν ἀφεστήκασιν. 2. 1. 16. (cfr. Sturz. Lexic. Xenoph. 2. p. 25).

Verum ut supra jam monui, hæc vis, ut indicet auctor, se, rem ita esse, scire vel putare, per se non inest particulæ εἰ sq. Ind.; sed apparet hoc ex sententiarum nexu et ratione. Satis enim tenendum est, nihil aliud indicare particulam εἰ, qvam auctorem aliquid sumere, et Indicativ., verum aliquid eum sumere i. e. verum esse aliquid affirmare, si vera sit conditio, ratione non habita, utrum vera hæc sit, nec ne. Hinc fit, ut usurpetur etiam part. εἰ sq. Indic.

b) Ubi auctor aliquid verum sumit, cum, verumne etiam esse putet, nullo modo præ se ferat, sive cognitum non habet, sive scire nil curat. Tale igitur connexum proponit scriptor, non ut ipse qvidem inde aliqvid complectatur, qvod neqvit, siqvidem rem nescit, ut ejusmodi autem in medium profert, unde, si placet, complexio a qvocunqve fiat. Fit igitur sæpe, ut talis enuntatio contraria contineat, qvorum utrumqve pro vero sumit auctor, cum alterum solum verum esse possit. Xen. Anab. 2. 1. 19. ubi Clearchus Philinum consilium dare jubet Græcis, utrum arma traderent, nec ne. Respondet ille: Ἐγὼ, εἰ μὲν τῶν μυρίων ἐλπίδων μία τις ὑμῖν ἐστὶ σωθῆναι πολεμοῦντας βασιλεῖ, συμβουλεύω μὴ παραδιδόναι τὰ ὅπλα. εἰ δέ τοι μηδεμία σωτηρίας ἐστὶν ἐλπὶς — συμβουλεύω σώζεσθαι ὑμῖν ὅπῃ δυνατόν. Utrumqve sumit idqve contrarium, qvorum alterum tum jam verum esset necesse fuit. Aut est vobis spes, aut nulla est; num vero sit, nescio, nec scire curo. Rem vobis dijudicandam relinqvo. cfr. Mem. 3. 11. 12. Interdum autem partic. non ad verbum enuntiationis per-

tinet, sed ad aliud vocabulum; qvod si ita est, prioris est generis. Ut Anab. 2. 1. 10. Proxenus, ubi rex, num arma ut victor an amicus poscat, mirari se dixit, hæc addit: εἰ μὲν γὰρ ὡς κρατῶν, τί δεῖ αὐτὸν αἰτεῖν, καὶ οὐ λαβεῖν ἐλθόντα; εἰ δὲ πείσας βούλεται λαβεῖν, λεγέτω, τί ἔσται τοῖς στρατιώταις, ἐὰν αὐτῷ ταῦτα χαρίσωνται. Velle regem, arma a Græcis sibi tradi, qvippe qvi ea tum jam poposcisset, antea jam narratum est.

Deniqve interdum etiam hunc modum usurpatum invenies

c) Ubi pro vero sumit, qvod verum esse minime habere se, aperte præ se fert is, qvi loqvitur, ipse interdum postea rem diserte negans. Quoniam autem tum revera putat, rem ita non esse, nec pro incerta nec pro dubia eam sumit; sed sumit pro vera, ut eam veram non esse postea, si opus sit, aliis persvadeat. Quod vero genus, cum propriam habeat suam rationem, rarius est. Anab. 7. 6. 17. Xenoph. ab Arcade qvodam, qvod, pecuniis a Seuthe acceptis, Græcos mercede defraudasset, insimulatus, multis se defendit, in qvibus: Δῆλον γὰρ, ὅτι Σεύθης, εἰ ἔχω τι παρ' αὐτοῦ, ἀπαιτήσει με etc. Ibid. 15. Ἐπεὶ δὲ ὑμῖν ψεύδεσθαι ἤρξατο Σεύθης περὶ τοῦ μισθοῦ, εἰ μὲν ἐπαινῶ αὐτὸν, δικαίως ἄν με καὶ αἰτιῷσθε καὶ μισοῖτε et ibid. Poppo. cfr. 16. 22. Cyr. 1. 5. 13.

Commemoravi jam supra, εἰ sq. Ind. jungi temporibus præsent. et futuro. (Seqvi possunt etiam tempora præterita relativa, sed de communi horum usu in connexis, qvorum apodosis qvoqve ad præteritum tempus pertinet, postea forsan viderimus.) Nolo, qvæ de universo temporum usu a Grammaticis recte et bene monita sunt, h. l. repetere. Nonnulla modo exempla addam, paucaqve monebo. Itaqve primum velim memineris, Græcos, qvamqvam ad præteritum in præs. (i. e. præteritum, qvod ad tempus præsens refertur) inducendum proprio Perfecto utantur, sæpius tamen Aoristum etiam usurpare. cfr. Buttmann gr. Gr. §. 124. 3. Id qvod sæpe etiam fit post εἰ. Mem. 1. 2. 13. Xen. Socratis causam dicit contra accusatorem; Ἐγὼ, inqvit, δ' εἰ μέν τι κακὸν ἐκείνω (Critias et Alcibiades) τὴν πόλιν ἐποιησάτην, οὐκ ἀπολογήσομαι. et paulo post 26. de iisdem: Εἶτα, εἰ μέν τι ἐπλημμελησάτην, τούτου Σωκράτην ὁ κατήγορος αἰτιᾶται etc. Mem. 3. 1. 9. Soc. ad qvendam, qvi imperatoris artem didicerat: εἰ μὲν τοίνυν καὶ διαγιγνώσκειν σε τοὺς ἀγαθοὺς καὶ τοὺς κακοὺς ἐδίδαξεν. εἰ δὲ μή, τί σοι ὄφελος, ὧν ἔμαθες; Attamen haud facile temere inter se permutantur Perf. et Aorist.; sed suam qvodqve tempus retinet vim, lingvæ Græcæ peritis facile se offerentem; ego imperitioribus paucis rem perspicuam facere conabor. Itaqve Aorist. tum maxime in usum vocatur, cum actio ipsa absoluta præcipue spectatur, idqve adeo tempus, qvo gesta est res, antea sæpissime indicatum,

potissimum significatur. Hinc fit, ut res sæpissime ad certum tempus præteritum adstringatur, cumqve alia actione connexa cogitetur. Cum igitur usurpatur Aor., vulgo animo suppleri potest: tum, cum illud (de qvo sermo antea jam fuit) gerebatur, et verti etiam potest nostra lingva per imperfect.; id qvod abest ab usu perfecti. Ita in priori utroqve exemplo ætas respicitur Critiæ et Alcibiadis, postqvam facti sunt discipuli Socratis, qvod paulo ante (12. sq.) indicatum jam est; Ἀλλ', ἔφη γε ὁ κατήγορος, Σωκράτει ὁμιλητὰ γενομένω Κριτίας τε καὶ Ἀλκιβιάδης, πλεῖστα κακὰ τὴν πόλιν ἐποιησάτην. In tertio (Mem. 3. 1. 9.) εἰ — ἐδίδαξεν, si te edocuit magister — tum, puta, cum disciplina ejus utebaris. — Perfectum autem tum maxime usurpatur, cum nullum certum temporis vestigium, qvo gesta sit res, nec actio ipsa, sed actionis effectus potissimum spectantur. Mem. 3. 6. 9. Socrat. Glauconem urgens, negantem, ad interrogata ex memoria posse se respondere: ἀλλ', inqvit, εἰ γέγραπταί σοι, ἔνεγκε. Si conscriptum habes, profer. Qvo autem tempore scripserit, nil refert. 2. 2. 14. Socrates filium castigans σὺ μὲν οὖν, ὦ παῖ — τοὺς μὲν θεοὺς παραιτήσῃ συγγνώμονάς σοι εἶναι, εἴ τι παρημέληκας τῆς μητρός.

Deniqve Futuro Ind. jungitur εἰ, si qvid futuri pro vero sumitur, i. e. ut qvod certo fore jam in præsens certum et exploratum sit. Hujus autem rei exempla dabimus, pluraque monebimus, ubi ad alterum genus perventum fuerit.

Anteqvam autem ad alterum hoc genus transgrediar, pauca qvædam h. l. de universa præsentium temporum ratione mihi monenda sunt, qvalis nostra Latinaqve et plerisque lingvis loqventibus constare videatur. Qvod eo magis præcipiendum videtur, qvod communi usu deceptus, haud facile nisi monitus attendas. Duplex autem est hæc ratio. Si qvid enim per præsens inducitur, id aut ad certum et definitum illud tempus pertinet, qvo cogitatur vel dicitur, adeo ut res ipso illo temporis articulo, qvo enuntiatur, geri vel gesta esse (valet enim hoc etiam in perfect. in præs.) dicatur, aut ad qvamvis aliam atqve adeo infinitam temporis partem. Illud tempus vere præsens vel præsens finitum, hoc infinitum vel aoristum nominare licet. Sicut Cicero ad præsentem Catilinam (1. 1.) "Patere tua consilia non sentis?" 4. "Num negare audes? qvid taces?" Est præsens finit. Nam pertinet ad id ipsum tempus, qvo loqvitur Cicero. Idem autem Fin. 137. "Omne id, qvo gaudemus, voluptas est". Amicit. 22. „Maximum ornamentum amicitiæ tollit is, qui ex ea tollit verecundiam." Indefinite h. l. usurpatur præsens. Nam talem hominem eo ipso tempore esse, non fere putat Cic.; et sic omnino, ubi universe aliqvid dicitur, qvod enuntiationum

genus plerumqve per pronom. rel. vel part. si inducitur. Hæc præmonita volui, qvo facilius seqventia intelligas.

Qvod igitur secundo loco posui, eas enuntiationes conditionales complectitur, qvæ per ἐάν, ἤν, ἄν (εἰ—κεν) sq. conjunctiv. proferuntur. In ejusmodi enunt. aliqvid incerti sumitur i. e. haud explorati, sive ejusmodi, qvod nesciatur, nec in præsentia sciri possit, qvod cognitio ejus in futuro tempore posita sit, nec nisi ex eventu vel exitu ipsius rei concipi possit. Sumo igitur, aliqvid esse aut fore, sed ita sumo, ut significem simul, in præsens nescire me, num re vera sit futurumve sit, qvippe qvod in futuro demum tempore cognosci possit. Est igitur connexum ejusmodi, unde nihil in præsentia jam confici possit. Cum enim in prodosi tale qvid sumatur, cujus veritas nondum perspecta sit, nec nisi in futuro tempore perspici possit, veritas autem alterius, qvod in apodosi continetur, ex prioris veritate dependeat, nec nisi perspecta illa intelligi possit, seqvitur etiam, nec qvidqvam in præsentia adsumi, atqve adeo nihil confici posse. Tale igitur connexum proponitur, non ut inde aliqvid in præsens jam conficiatur (qvod fit in priori genere), sed tantummodo, ut præscius sim, facto altero, alterum etiam fore, utrumqve autem in futura experientia positum esse. Ut autem qvidqvid priori modo sumitur, ad tempus vere præsens pertinet, et sumitur, ut inde in præsenti jam tempore fiat conclusio, ita qvidqvid hoc altero modo sumitur, ad tempus præsens aoristum vel futurum spectare necesse est, i. e. rem talem esse, cujus cognitio in futuro percipienda sit. Qvare recte Hermann. (ad Vig. p. 834.) "ἔαν, inqvit, ad experientiæ significationem adhibetur: ἐὰν τοῦτο γένηται, sumo hoc fieri, et potest omnino fieri, sed utrum vere futurum sit, nec ne, id nescio, verum experientia cognoscam." Modo teneas, non simul necessario inesse, dicentem aut pro certo habere aut putare semper, se hoc postea re vera cogniturum esse, qvod indicant Hermanni verba Buttmanniqve (Gr. Gr. §. 126. 9.) Fit enim illud qvidem plerumqve, ut hoc modo sumamus, qvod ita fore vel non fore suspicemur vel putemus; interdum et inprimis in rebus universe dictis (vid. postea) non item. Inest tantum, hoc eum nondum scire, nec sumere tanqvam aliqvid, qvod jam sciatur; utrum autem re vera se cogniturum esse putet, nec ne, nil nisi orationis contextus prodere potest. Aliud exemplum Hermanni inspiciamus: "Ita ei, inqvit, qvi dixit aliqvid, qvod non satis intelleximus, respondere possumus: εἰ τοῦτο λέγεις, ἁμαρτάνεις: si hoc dicis, erras. Utrum dixeris, nec ne, nihil curo, id ipse videris. — Non etiam dicere licet: ἤν τοῦτο λέγῃς vel λέξῃς." At cur non licet? "Id enim, pergit H., significabit, si hoc dixeris, erra-

bis, et referetur ad experientiam, qva aliqvando, utrum qvis (?) hoc an aliud dixerit, intellecturi simus." Id est ex mea ratione: non licet, qvia nobis audientibus dictum jam est; pro vero igitur sumendum est, non pro incerto, qvod in præsentia nesciatur. Atqvi ad verum scriptorum veterum usum excutiendum adgrediamur; in qvo id potissimum agemus, ut qvid inter utrumqve genus discriminis intercedat, utraqve ratione comparata, optime illustretur. Xen. Cyr. 1. 4. 9. Avunculus Cyrum venantem incusat, qvod is in aprum incautius incurrisset. Ἀλλ', inqvit, ἢν αἴσθηται (Astyages) ὅτι ἐδίωκες, οὐ σοὶ μόνον λοιδορήσεται, ἀλλὰ καὶ ἐμοί, ὅτι σε εἴων. Respondit Cyrus: καί, ἢν βούληται, μαστιγωσάτω, ἐπειδάν γε ἐγὼ δῶ αὐτῷ. ἢν βούληται non in tempus vere præsens cadit, sed in futurum, cum sermo sit de absente Astyage, qvid facturus esset, cognita Cyri temeritate; id qvod tunc omnino scire non potuit Cyrus. Addit autem: καὶ σύγε, εἰ βούλει, ὦ θεῖε, τιμωρησάμενος, ὅ τι βούλει, ταῦτα ὅμως χάρισαί μοι. Hæc dicuntur ad præsentem avunculum, et pertinent ad tempus vere præsens: εἰ βούλει, si vis, qvod nescit qvidem Cyrus, pro vero autem sumit, ad cognoscendum minime curiosus. cfr. 1. 4. 14. 26. Verum qvæ de temporum ratione subinde monita sunt, non eam habent sententiam, ut suspicetur aliqvis, qvidqvid per ἢν et Conj. pronuntietur, id necesse esse in futuro demum tempore esse vel fieri *incipere*. Imo sæpe etiam tali modo aliqvid sumitur, qvod eo ipso tempore, qvo sumitur, jam esse pateat. Verum qvi sumit, non respicit, res qvalis sit illo tempore, sed qvalem eam esse in futuro cognoscat i. e. non ex re jam cognita s. pro cognita sumta argumentatur vel affirmat, sed rem incertam postea cognoscendam inducit. Et tum futuri illud, qvod huic generi semper inesse supra cum Hermanno diximus, non rei vel actioni ipsi inest, sed notitiæ ejus postea comparandæ. Xen. Anab. 1. 7. 18. narrat Xen., Cyrum Silano haruspici, qvi decem diebus regem non proeliaturum esse prædixisset, pollicitum esse, si verum dixisset, decem talenta daturum se esse: ἐὰν δ' ἀληθεύσῃς, ὑπισχνοῦμαί σοι δέκα τάλαντα. Rem tum jam prædixerat haruspex; verene autem dixisset, illo tempore scire non potuit C., sed ex exitu rei cogniturus erat. Cyr. 2. 4. 27. Cyrus Chrysantam monens — ἀλλὰ κέλευε, inqvit, σοι τοὺς ἡγεμόνας, ἐὰν μὴ πάνυ πολὺ ἐλάσσων ἡ ὁδὸς ᾖ, τὴν ῥάστην ἡγεῖσθαι. Atqve optime etiam discrimen elucet in iis verbis, qvibus inest notio rei vel conditionis duraturæ s. continuatæ. Cyr. 3. 2. 16. Rex Armeniorum Cyro se suosqve multa beneficia (χάριτας) accepta dicit referre, ἅς, inqvit, ἡμεῖς γε, εἰ μὴ κακοί ἐσμεν, αἰσχυνοίμεθ' ἂν σοι μὴ ἀποδιδόντες. Nisi improbi sumus. Hoc ad tempus vere præsens referendum est, et pro vero sumitur, minime dubitante rege. Nihil h. l. futu-

rum tempus respicitur. At Anab. 1. 3. 18. 19. svadet Græcus qvidam, ut ad Cyrum legati mittantur, qvi qvodnam esset expeditionis consilium, cognoscerent: καὶ ἐὰν μὲν ἡ πρᾶξις ᾖ παραπλησία, οἵαπερ καὶ πρόσθεν ἐχρῆτο τοῖς ξένοις, ἕπεσθαι καὶ ἡμᾶς — ἐὰν δὲ μείζων ἡ πρᾶξις τῆς πρόσθεν φαίνηται — etc. h. l. ἐὰν cum conj., qvia indicat, rem se nescire, et tum demum cogniturum esse, cum reversi legati responsum Cyri renuntiarent. Mem. 3. 1. 11. Socrates discipulum, qvi a Dionysodoro artem aciei instruendæ didicerat, hortatus, ut iterum magistrum adiret, et rem ab eo non traditam, reqvireret, addit: ἢν γὰρ ἐπίστηται, καὶ μὴ ἀναιδὴς ᾖ, αἰσχυνεῖται, ἀργύριον εἰληφὼς, ἐνδεᾶ σε ἀποπέμψασθαι. cfr. Cyr. 1. 3. 17. — Et sic ubiqve hunc modum usurpatum invenias, ubi qvis aliqvid sumit, qvod suspicatur, opinatur, sperat esse vel fore, affirmans in apodosi, qvid futurum sit, si rem ita esse vel fore, exitus vel experientia docuerit. Xen. Anab. 1. 7. 7. Ἢν δ' ἡμεῖς νικήσωμεν, ἡμᾶς δεῖ τοὺς ἡμετέρους φίλους τούτων ἐγκρατεῖς ποιῆσαι. Hom. Iliad. 3. 281. sq. εἰ μέν κε Μενέλαον Ἀλέξανδρος καταπέφνῃ, αὐτὸς ἔπειθ' Ἑλένην ἐχέτω καὶ κτήματα πάντα — εἰ δέ κ' Ἀλέξανδρον κτείνῃ ξανθὸς Μενέλαος — etc.

Verum non solum his in rebus, ubi aliqvid sumas, qvod utrum sit futurumve sit, nec ne, fore ut postea re vera cognoscatur, existimes, huic generi locus est, sed in rebus etiam universe dictis, ubi omnino semper aliqvid certa conditione esse vel fore contendas, modo hæc conditio talis esse indicetur, qvæ ad experientiam cujusqve vel alicujus trahi possit. Tum enim non vera res respicitur, nec in tempus vere præsens cadit, sed in nostra Latinaqve lingva plerumqve in tempus præsens aorist. Xen. Mem. 4. 3. 14. Socrates, non posse homines solem intueri Euthydemum docens: ἀλλ', inqvit, ἐάν τις αὐτὸν ἀναιδῶς ἐγχειρῇ θεᾶσθαι, τὴν ὄψιν ἀφαιρεῖται. Universe dictum; nec vero se nec alium qvempiam hoc re vera experturum esse, indicat. Rem autem ita profert, ut eam in Euthydemi vel cujusvis hominis experientiam facile incurrere posse, significet; nec adeo rem pro cognita sumit, sed qvæ facile cognosci possit. Cyr. 1. 4. 13. Cyrus ad avum: ἤν τις ἀποδρᾷ σε τῶν οἰκετῶν, καὶ λάβῃς αὐτόν, τί αὐτῷ χρήσῃ etc. si aufugerit etc., qvod facile fieri potest, utrum vero re vera unqvam futurum sit, nec ne, nescio. At Cyr. 1. 6. ubi de bona exercitus valetudine tuenda cum Cyro Medis auxilio proficiscente disserit Cambyses; Δεῖ γὰρ, inqvit (17), δήπου στρατίαν, εἰ μέλλει πράξειν τα δέοντα, μηδέποτε παύεσθαι ἢ τοῖς πολεμίοις κακὰ πορσύνουσαν, ἢ ἑαυτῇ ἀγαθά. Etiam universe dictum de omni exercitu, sed est præceptum, qvod verum semper est; εἰ μέλλει πράξειν τα δέοντα? Et μέλλει sane; hoc semper facere debet. Res

igitur ad tempus vere præsens pertinet, i. e. pro vera sumitur, et fieri potest adsumtio. At paulo post 16. res est incerta: Qværenti Cyro, qvo potissimum modo prospiciat, ut exercitus omnino morbis ne implicetur, respondit Cambys. *ἢν μὲν δήπου χρόνον τινὰ μέλλῃς ἐν τῷ αὐτῷ μένειν, ὑγιεινοῦ πρῶτον δεῖ στρατοπέδου μὴ ἀμελῆσαι.* Præceptum etiam, sed præceptum de re futura et incerta, qvæ utrum accideret nec ne, tum scire non potuit Cambys. Nil igitur h. l. adsumi potest.

In hujusmodi igitur enuntiatis non certa qvædam res respicitur, sed tantummodo qvæ facile in postero tempore accidere possit. Verum si qvid universe ita pronuntiatur, ut certa qvædam res antea jam gesta, respiciatur, seqvitur Indic. Plat. Apol. 21. 33. Socrates *ἐγὼ δὲ*, inqvit, *διδάσκαλος μὲν οὐδενὸς πώποτ' ἐγενόμην. εἰ δέ τις ἐμοῦ λέγοντος καὶ τὰ ἐμαυτοῦ πράττοντος ἐπιθυμεῖ ἀκούειν, — οὐδενὶ πώποτε ἐφθόνησα* (id qvod sæpe accidit). Ibid. *εἰ δέ τίς φησι, παρ' ἐμοῦ πώποτέ τι μαθεῖν ἢ ἀκοῦσαι ἰδίᾳ, ὅτι μὴ καὶ οἱ ἄλλοι πάντες, εὖ ἴστε, ὅτι οὐκ ἀληθῆ λέγει*; si qvis dixit dicitqve, qvod nescio, suspicor autem hoc aliqvem dixisse. Hoc dicit Socrates, ut falsam judicum opinionem, si qvam ex vano alicujus indicio jam concepissent, corrigeret, at rem si per *ἐάν* et conj. induxisset, ne forte postero tempore in errorem inciderent, præcavendum sibi duxisset. Sic etiam in morum consvetudinumqve populorum descriptionibus semper *ἤν* cum conj., qvod non certa res nec ad tempus vere præsens pertinens, sed qvam facile qvis experientia cognoscere possit, enuntiatur. Herod. 4. de Scythis 28. *ἢν δὲ χειμῶνι βροντὴ γένηται, ὡς τέρας θωμάζεται* etc. 94. *ἢν μὲν δὴ ἀποθάνῃ ἀναπαρείς, τοισίδε ἵλεως ὁ θεὸς δοκέει εἶναι, ἢν δὲ μὴ ἀποθάνῃ* etc. cfr. 68. 65. 61. etc. Xen. Cyr. 1. 2. 11. ubi sermo est de moribus Persarum, ubiqve *ἤν* cum conj. Verum en subito Xen. *εἰ δέ τις αὐτοὺς οἴεται ἢ ἐσθίειν ἀηδῶς — ἀναμνησθήτω* — qvia relictis Persis sermo ad lectores convertitur: si qvis putat, et forsan haud pauci hoc putant.

Quum autem per *ἤν* cum conj. futura semper res inducatur (i. e. aut ad tempus futur. aut præs. aorist. pertinens) et supra etiam monitum sit, *εἰ* qvoqve jungi posse Futur. Ind., qværitur jam, numqvid inter utrumqve hoc dicendi genus intersit. Et interest sane. Nam multum sæpe interest, utrum aliqvid futuri pro vero sumatur i. e. ut qvod re vera fore certum jam in præsenti atqve exploratum sit, an pro incerto, qvod futurumne sit, nec ne, nihil nisi experientia aperire possit. Xen. Mem. 2. 1. 17. Aristippus Cyrenaicus e Socrate qværit, qvid conditio eorum, qvi regnandi artem edoceantur, a ceterorum hominum conditione differat, *εἴ γε πεινήσουσι, καὶ διψήσουσι καὶ ῥιγώσουσι καὶ ἀγρυπνήσουσι, καὶ τἄλλα πάντα μοχθήσουσιν ἑκόντες*; si esurient etc. i. e. si cer-

tum est, fore, ut esuriant, si fieri non potest, ut non esuriant etc., qvamvis sua sponte hoc faciant. Verum hoc sumit, qvod in antecedentibus (2 sq.) eum jam edocuit Socrat., hos labores et ærumnas necessario suscipiendas esse, si quis regnandi artis peritum se fieri velit. Ut hoc in loco, sic in plerisqve fere, qvod ita sumitur, causam, cur ita sumatur, habet in antecedentibus, ubi dicta fere jam sunt, unde rem sic fore, certum et persvasum habere debeat is, qvi loqvitur. Id qvod in hoc exemplo indicat etiam particula γε (vide antea.) Ita loco, supra jam laudato Anab. 1. 7. 18., ubi narrat Xen., Cyrum Silano haruspici tria millia nummorum dedisse, qvod prædixisset is, regem ante decem dies dimicaturum non esse; tum addit: Κῦρος δ'εἶπεν. Οὐκ ἄρα ἔτι μαχεῖται, εἰ ἐν ταύταις οὐ μαχεῖται ταῖς ἡμέραις. Cur hoc loco μαχεῖται? Qvod ita fore pro certo antea prædixerat Silan. Cyrop. 1. 4. 12. consultantes pueri Cyrum hortantur, ut ab avo venandi potestatem ipsis exoraret. At ille negat, amplius posse se, ut antea, precibus adire avum præ verecundia et pudore. Tum illi: πονηρὸν λέγεις τὸ πρᾶγμα, εἰ μηδὲ ὑπὲρ ἡμῶν, ἄν τι δέῃ, δυνήσει πράσσειν, ἀλλ' ἄλλου τινὸς τὸ ἐπὶ σὲ ἀνάγκη ἔσται δεῖσθαι ἡμᾶς. si, ut ipse dicis, hoc facere non poteris. Contra ἄν τι δέῃ, si necesse fuerit, id qvod incertum est, et futuro tempore viderimus. Anab. 2. 1. 22. qværit ex Clearcho Philinus, vellentne Græci manere et cum rege societatem habere, an abeuntes bellum sibi creare. Paucis respondit ille: ἢν μὲν μένωμεν, σπονδαί, ἀπιοῦσι δὲ καὶ προϊοῦσι πόλεμος. Tergiversatur Clearchus, nec certum dare vult responsum; sed ita respondet, ut, unde rem cognoscat, nil nisi experientiam regi relinqvat. Qvare addit Xen. Ὅ, τι δὲ ποιήσοι, οὐ διεσήμηνε; supra autem (21), ubi de consilio Græcorum interrogat Ph., dicite, inqvit, πότερα μενεῖτε; et sic sæpe Futurum, ubi sumitur aliqvid, qvod in voluntate, consilio, proposito alicujus positum sit; sumitur igitur præfinitum jam et constitutum. Anab. 1. 5. 16. Inter Clearchum et Proxenum, qvi exacerbati in eo erant, ut pugnam inter se consererent, medius intervenit Cyrus, et, nescitis, inqvit, qvid faciatis: εἰ γάρ τινα ἀλλήλοις μάχην συνάψετε, νομίζετε ἐν τῇδε τῇ ἡμέρᾳ ἐμέ τε κατακεκόψεσθαι, καὶ ὑμᾶς οὐ πολὺ ἐμοῦ ὕστερον: si pugnam commissuri estis; dicere etiam potuisset: ἢν — συνάψητε; at tum eventum solum respexisset, non vero consilium, qvod ab iis jam captum esse, instructæ acies satis aperiebant.

Verum non solum in re, qvam fore persvasum habet is, qvi loqvitur, hæc dicendi ratio usurpatur, sed etiam in re, qvam futuram non esse putat (qvanqvam rarius; cfr. supra ad primum genus). Id qvod per se patet; nam sive fore puto, sive non puto, verum tamen sumo, nec experientiam respicio. Xen. Mem. 4. 8. 8. Socrates: εἰ δὲ βιάσομαι πλείω χρόνον, ἴσως ἀναγκαῖον ἔσται τὰ τοῦ γήρως ἐπι-

τελεῖσθαι etc. et postea 9. Ἀλλὰ μὴν εἴγε ἀδίκως ἀποθανοῦμαι, τοῖς μὲν ἀδίκως ἐμὲ ἀποκτείνασιν αἰσχρὸν ἂν εἴη τοῦτο. Seqvitur autem paulo post 10. καὶ ἐὰν νῦν ἀποθάνω — et sic sæpe uterqve modus æqve recte se habere potest, modo memineris, alterum altera ratione judicandum esse, nec eandem notionem cogitantis animo subesse. Hom. Iliad. 1. 135. sq. ἀλλ' εἰ μὲν δώσουσι γέρας μεγάθυμοι Ἀχαιοὶ, ἄρσαντες κατὰ θυμὸν, ὅπως ἀντάξιον ἔσται — εἰ δέ κε μὴ δώωσιν, ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι ἢ τεὸν etc.

Hoc vero discrimen, qvod inter εἰ cum Fut. et ἐάν cum conj. interesse, probare jam conatus sum, multis etiam aliis in locis deprehendi mihi videtur, ubi promiscue fere utrumqve modum usurpari, vulgo docent grammatici. Ita particulam ὅπως et Futuro et Conj. jungi, nemo nescit. Sed qvid inter utriusqve modi usum intersit, nondum satis excussum inveni, qvamqvam, qvin uberior talis futura sit disqvisitio, minime dubito. Nec mihi qvidem in hanc rem accurate inqvirere licet, qvippe qvod ab hujus dissertatiunculæ fine et proposito nimis recedat. Pauca tantum, qvæ ad meam rem pertinent, attingam, eaqve potius demonstrabo qvam explicabo. Particula ὅπως proprie est correlativa, qvæ vis propria est etiam ceterarum particularum finalium, ἵνα, ὄφρα, ὡς, qvamqvam hæc vis maxime intelligitur in part. ὅπως. Patet autem, eam in hac signif. jungi posse cuiqve tempori. Ex hac autem notione existere etiam notionem finalem, facile intelligitur (vid. Matth. Gr. 520 p. 1000.) Tum vero nonnisi tempori futuro i. e. Præs. et Aor. Conj. vel Futur. Ind. jungi posse, ex ipsa signif. apparet. Sed qværitur, qvid intersit inter usum Conj. et Futuri. Respondeo: Idem fere ac inter εἰ cum Fut. Ind. et ἐάν cum Conj. Atqve facillime hoc qvidem discrimen intelligitur ex iis locis, ubi ὅπως propriam sibi notionem servat, ita tamen, ut fere in notionem finalem transeat, i. e. post verba curandi, videndi, prospiciendi, parandi etc. (cfr. Matth. l. c., Poppo Xen. Anab. Ind. p. 531.) Hoc autem discrimen, ut facillimum est ad intelligendum et verissimum, ut puto, ita notatu dignissimum est, cum etiam notissimum illud præceptum Dawisii de οὐ μή et ὅπως vel maxime attingat. Futurum enim usurpatur, cum vis sententiæ non inest verbo, sed particulæ, Conj. autem, cum inest verbo, non particulæ; i. e. Futurum, ubi persvasum habet is, qvi loqvitur, certo fore id, qvod agit, videndum autem, prospiciendum, curandum est, qvo potissimum modo fiat, Conj. vero, ubi nescit, addubitat, incertus hæret, utrum fiat vel fieri possit, vult autem et id agit, ut qvoqve modo fiat. Xen. Anab. 4. 6. 10. Consultantibus Græcorum ducibus, qvomodo saltum ab hostibus occupatum transirent, ita lo-

qvitur Xen. εἰ μὲν ἀνάγκη ἐστὶ μάχεσθαί, τοῦτο δεῖ παρασκευάσασθαι, ὅπως ὡς κράτιστα μαχούμεθα. εἰ δὲ βουλόμεθα ὡς ῥᾷστα ὑπερβάλλειν, τοῦτό μοι δοκεῖ σκεπτέον εἶναι, ὅπως ἐλάχιστα μὲν τραύματα λάβωμεν, ὡς ἐλάχιστα δὲ σώματα ἀνδρῶν ἀποβάλωμεν. En utrumqve modum. Illud enim, proelii committendi ratio in consilio Græcorum positum erat; itaqve certum et constitutum habet, omnino decertandum esse, verum qværitur, qvi optime fieri hoc posset; hoc, pugnæ exitus, omnino incertum, prospiciendum autem, cladem ne acciperent, vel certe qvam minimam acciperent. Paulo supra 7. Cherisophus: οἱ μὲν πολέμιοι, ὡς ὁρᾶτε, κατέχουσι τὰς ὑπερβολὰς τοῦ ὄρους. ὥρα δὲ βουλεύεσθαι, ὅπως ὡς κάλλιστα ἀγωνιούμεθα. Nam rem ad certamen venire, omnino necesse est. cfr. Cyr. 3. 1. 14, 1. 3. 11. Itaqve ὅπως cum Futur. maxime vim particulæ qvomodo habet, cum Conj. finalis particulæ ut (*). Xen. Anab. 3. 2. 3. Cherisophus, interfectis ducibus, Græcos hortatur; δεῖ, inqvit, — μὴ ὑφίεσθαι, ἀλλὰ πειρᾶσθαι, ὅπως, ἢν μὲν δυνώμεθα, καλῶς νικῶντες σωζώμεθα. εἰ δὲ μή, ἀλλὰ καλῶς γε ἀποθνήσκωμεν etc. Cyr. 1. 6. 16. Cyaxares, Cyrum monens, qvomodo bonam exercitus valetudinem tueri debeat: recordare, inqvit, σὺ πῶς πειρᾷ σαυτοῦ ἐπιμελεῖσθαι, ὅπως ὑγιαίνῃς: qvomodo prospicias, ut ipse valeas. Cur ὑγιαίνῃς? Qvia hoc in ipsius Cyri arbitrio positum non erat, nec qvisqvam prospicere unqvam potest, num bona semper fruatur valetudine. Hinc errasse etiam puto Schneiderum, corrigentem Xen. Mem. 2. 2. 10., ubi Socrates filium matri iratum ad pietatem revocans: Molestamne, inqvit, matrem dicis, εὔνουν τέ σοι οὖσαν καὶ ἐπιμελομένην ὡς μάλιστα κάμνοντος, ὅπως ὑγιαίνῃς τε καὶ ὅπως τῶν ἐπιτηδείων μηδενὸς ἐνδεὴς ἔσῃ. Hanc antiqvam lectionem mutavit Sch., reponens ὑγιανεῖς, propter seqvens ἔσῃ, ut dicit. Nihil igitur interesse, suspicatus est Vir doctiss. At nonnihil interesse, facile intelliges, si ad meam rationem locum expenderis. Nam, ut convalesceret filius, summo opere optavit qvidem mater; utrum vero re vera sanitatem recuperaret nec ne, scire non potuit; verum ne qva re ad vitam et valetudinem tuendam necessaria indigeret, ut cibo, potione etc., ipsa per se prospicere potuit. Atqve sic etiam, ubi leviter adspicienti omnino nihil interesse videtur, tamen accuratius sententias excutienti aliqvid discriminis se offert. Cyr. 1. 2. 3. Xenoph. Persarum mores et disciplinam describens: Οἱ δὲ, inqvit, Περσικοὶ νόμοι προλαβόντες ἐπιμέλονται, ὅπως τὴν ἀρχὴν μὴ τοιοῦτοι ἔσονται οἱ πολῖται, οἷοι πονηροῦ τινος ἢ αἰσχροῦ ἔργου ἐφίεσθαι. At paulo post 5: εἰσὶ δὲ καὶ τῶν γεραιτέρων προστάται ᾑρημένοι, οἳ προστατεύουσιν, ὅπως καὶ οὗτοι τὰ

---

*) Utramqve vim complectitur etiam Latinorum ut, cujus primariam notionem, qvomodo, fuisse probavit E. Wunderus in Jahns Jahrbuch. f. Phil. u. Päd. 1827. 3 B. 1 H. P. 153. sq.

καθήκοντα ἀποτελῶσιν. In priori loco Futur., qvia leges Persarum non solum jubent, cives esse bonos, verum prospiciunt etiam, qvi optime hoc efficiatur, qvam sententiam aperte indicant etiam antecedentia verba. Pleræqve enim, inqvit, (2) civitates permittunt, ut, qvo qvis modo ipse velit (ὅπως τις ἐθέλει) pueros, educet instituatqve, vetantqve tantum, ne qvis furtum, latrocinium etc. committat, et si qvis tale crimen in se susceperit, poena afficiunt. At Persarum leges non solum hæc fieri vetant, verum cavent etiam, ne cives omnino tales sint, idqve severa puerorum disciplina et institutione. At in altero loco hæc tantum inest vis, videre præfectos, ut officia præstent seniores, qvocunqve modo fiat, nil curantes. Alterum autem altero etiam majori vi atqve efficacia proferri, facile qvisqve sentiet. Unde fit, ut, ubi aliqvid pro certo confirmatur pronuntiaturve, idqve paulo vehementius aut magna cum confidentia, seqvatur Futur. Qvare nollem, vulgatam lectionem revocasset Poppo Anab. 1. 5. 16., ubi Cyrus ad milites Menonis: Ἐγὼ μὲν, ὦ ἄνδρες, ἤδη ὑμᾶς ἐπαινῶ. ὅπως δὲ καὶ ὑμεῖς ἐμὲ ἐπαινέσητε, ἐμοὶ μελήσει. ἢ μηκέτι με Κῦρον νομίζετε. Eqvidem cum Dind. ex cod. Vat. excipio ἐπαινέσετε (cfr. Poppo). Ita Cyr. 2. 1. 15. Νῦν δὲ ὅπως μὲν ταῦτα ἕξετε, ἐμοὶ μελήσει σὺν τοῖς θεοῖς. Hinc etiam, ubi aliqvid edicitur, jubetur. Anab. 7. 3. 24 Καὶ Σεύθην ἐκέλευον παραγγεῖλαι, ὅπως εἰς τὰ Ἑλληνικὰ στρατόπεδα μηδεὶς τῶν Θρᾳκῶν εἴσεισι νυκτός cfr. Cyr. 2. 4. 31.

Verum seqvitur hæc particula non solum illa verba prospiciendi, curandi etc., qvibus juncta propriam suam notionem maxime servat, sed invenitur ita etiam usurpata, ut parvum admodum primariæ notionis vestigium restet, interdum etiam omnino eandem ac ἵνα habeat potestatem. Forsan putaverit qvispiam, ὅπως tum semper jungi Conj.; qvod aliter fit; nam etiam talibus locis jungi potest et Futuro et Conj. (qvamqvam sæpius Conj.); et idem fere interest. Qvi enim ὅπως cum Futuro utitur, significat is, propositum aliqvid habere se, sed ita, ut indicet simul, haud hærere se, dubitare, utrum, qvod agat, revera futurum sit, fierive possit, nec ne, nec timere, ne non fiat; sin Conj., declarat, hac de re se dubitare, qvippe qvam prospicere neqveat, nec nisi experientia vel eventu edoctus scire possit. Xen. Cyr. 2. 1. 14. Cyrus Cyaxari: Recense mihi, inqvit, copias hostium, et deinde nostras, ὅπως εἰδότες ἀμφοτέρας πρὸς ταῦτα βουλευσόμεθα, ὅπως ἂν ἄριστα ἀγωνιζοίμεθα. Futurum, qvia certum jam ei est et deliberatum hac de re cum Cyaxare colloqvi. Num autem foret, ut consultarent, nil dubitat, ut qvod in ipsorum arbitrio positum esset. Dic, inqvit, qvo dicto consultaturi sumus etc. Et sic semper fere Fut., ubi is, qvi loqvitur,

non dubitat, fore, ut propositum adseqvatur. At Cyr. 1. 4. 10. Cyrus ab Astyage petit, ut captas feras pro arbitrio distribuendas sibi concedat: *Εἰ τοίνυν μὴ σὺ δέῃ, ἱκετεύω, ὦ πάππε, ἐμοὶ δὸς αὐτὰ, ὅπως τοῖς ἡλικιώταις ἐγὼ διαδῶ.* Ubi multo verecundius dictum est *διαδῶ*, qvam Futur. Orat enim puer avum regem, idqve verecunde et hæsitanter, non affirmans, ita fore se confidere, sed in liberalitate avi hoc situm esse indicans. Ita etiam *ὅπως μὴ* post *φυλάττεσθαι, φεύγειν* etc. cfr. Mem. 1. 2. 37, 4. 2. 23. Seqvitur etiam Conj., ubi res incertæ conditioni adstricta proponitur, qvia tum et ipsa fit incerta. Anab. 7. 3. 43. *Ἀλλ' ἐγὼ μὲν ἡγήσομαι τοῖς ἵπποις, ὅπως, ἄν τινα ἴδωμεν, μὴ διαφυγὼν σημήνῃ τοῖς πολεμίοις.*

Qvod autem putat Matth. §. 519. 7. p. 1000, Futurum actionem per longinqvitatem temporis durantem vel uno tenore continuatam, Aoristum vero actionem semel gerendam breviqve desinentem indicare (qvod idem existimat Reisig. comment. crit. de Soph. Oed. Col. ad v. 398. de Fut. et Aor. post *οὐ μὴ*), eqvidem minime comprobaverim. De Aoristo recte se habet illud qvidem; at Futuro cur hanc vim tribuamus, nihil video. Contra illud his in locis interest inter usum Aoristi et Præsentis Conj., ut alibi, etiam post *ἐάν*, ut mox monebimus. Ceterum suam retinere vim Futurum Ind., Conjunctivum suam ceteris qvoqve locis, ubi uterqve modus admittitur, ut post *οὐ μὴ, ἐκ ἔστιν ὅπως*, in interrogationibus etc., haud difficile mihi ad demonstrandum videtur, si id agerem. Verum monet me adstricta hujus scriptionis ratio, ut ne ulterius digrediar, sed ad propositum revertar.

Restat, ut de usu temporum pauca qvædam addamus; qva in re breviores esse nobis licet, quum copiose tractatam rem a grammaticis invenias. Qvodsi constat, omnia, qvæ per hunc modum proferuntur, ad futurum tempus (i. e. ad tempus aut vere præsens aut futur. cfr. supra) pertinere, seqvitur etiam *ἐάν* nonnisi iis temporibus, qvæ ad hoc temporis spatium referantur, jungi posse. Duobus autem opus est, uno, qvod actionem nondum absolutam sed duraturam, altero, qvod actionem jam absolutam significet. Duplici autem modo considerari possunt tempora harum enuntiationum; aut enim respicitur ratio, qvæ inter tempus rei vel actionis et tempus vere præsens (finitum), et ex hac fere ratione totum hoc genus pendet, aut qvæ inter tempora utriusqve actionis connexi intercedat, ex qva posteriori ratione constituitur, utrum potissimum tempus sit eligendum. Si enim, qvod in apodosi continetur, esse vel fieri non potest, anteqvam res, in prodosi prolata, absoluta jam sit, seqvitur Aorist.; sin utraqve res simul fit vel est, seqvitur Præsens. Id

est: Aorist. usurpatur, ubi absoluta res respicitur, nulla ejus, dum geritur, ratione habita, Præsens, ubi res non perfecta absolutave, sed gerenda spectatur. Hinc efficitur vulgare illud præceptum (Herm. ad Vig. q. 748. 215.), Præsens rem diutius durantem vel sæpius repetitam, Aorist. rem brevi absolutam vel semel factam indicare. Velut Cyrop. 1. 3. 14. Astyages Cyro, secum ut maneat, persvadens: *ἢν μένῃς παρ' ἐμοὶ* etc. At paulo post (5) Cyrus matri: *ἢν δέ με καταλίπῃς ἐνθάδε.* — Unde fit, ut verba, qvibus insit notio *τοῦ* esse aut rei diutius duraturæ, vulgo in Præsenti, qvibus autem insit notio *τοῦ* fieri vel rei brevi absolutæ, in Aoristo usurpata invenias cfr. Mem. 3. 1. 4, 3. 6. 7. 8. Cyr. 2. 1. 23, 3. 2. 13, 3. 3. 30. etc. Attamen non solum spectanda est verbi notio per se, sed inprimis ratio, qvæ intercedat inter apod. et prod., ut verba, qvæ per se spectata rem diutius durantem significent, tamen, si res non gerenda, sed jam gesta vel absoluta respiciatur, in Aoristo ponantur. Anab. 1. 7. 4. Cyrus Græcos monet, Persas in hostes incurrentes ingentem clamorem edere: *ἂν δὲ ταῦτα ἀνάσχησθε, τἄλλα καὶ αἰσχύνεσθαί μοι δοκῶ, οἵους ἡμῖν γνώσεσθε τοὺς ἐν τῇ χώρᾳ ὄντας ἀνθρώπους* 2. 2. 12. *ἢν γὰρ ἅπαξ δύο ἢ τριῶν ἡμερῶν ὁδὸν ἀπόσχωμεν, οὐκέτι μὴ δύνηται βασιλεὺς ἡμᾶς καταλαβεῖν.* Sæpe etiam levi discrimine et interdum fere nullo inter se permutatur utrumqve tempus; et complura etiam verba nunc rem duraturam vel continuatam, nunc brevi gerendam significant. Sicut vox *νικᾶν* ap. Xen. vulgo signif. superiorem esse, victoriam reportatam jam habere; alibi, superiorem fieri, victoriam reportare. Anab. 1. 8. 8. *κἂν τοῦτο, ἔφη, νικῶμεν, πάνθ' ἡμῖν πεποίηται.* 2. 1. 11. Philinus: *βασιλεὺς νικᾶν ἡγεῖται, ἐπεὶ Κῦρος ἀπέκτονε.* ib. 4. *ἀπαγγέλλετε Ἀριαίῳ, ὅτι ἡμεῖς γε νικῶμεν τε βασιλέα,* et paulo post: *τῶν γὰρ τὴν μάχην νικώντων καὶ τὸ ἄρχειν ἐστί* etc. At 1. 7. 7. *ἢν δ' ἡμεῖς νικήσωμεν* etc. cfr. 2. 2. 5.

Supra monitum jam est, Præsens usurpari, ubi res, etsi non duratura, at sæpius repetita, vel qvæ vulgo fieri soleat, proferatur, Aoristum autem, ubi enuntietur res, qvæ semel vel raro vel contra morem et consvetudinem fiat. Cyr. 1. 2 2.. Persarum mores describuntur: *ἢν δέ τις τούτων τι παραβαίνῃ, ζημίαν αὐτοῖς ἐπανέθεσαν.* Præsens, etsi poena commissum demum delictum conseqvi potest, qvia qvod vulgo fit, narratur. Eadem vis tum inest tempori apodosis (ut h. l. Aoristo Indic. cfr. Grammat. ad h. l. a Bornemann. laudatos) cfr. 1. 6. 18, 1. 6. 24, 3. 1. 29. etc. Ibid. 1. 2., ubi mores Persarum in pueris ephebisqve instituendis enarrantur, ubiqve fere Præs. Ita 9. narrat eos, quum venatum proficiscantur, habere sagarim, *ἔτι δὲ γέρρον καὶ παλτὰ δύο, ὥστε τὸ μὲν ἀφεῖναι, τῷ δ', ἂν δέῃ, ἐκ χειρὸς χρῆσθαι,* et 13. *ἢν δέ που δέῃ στρατεύεσθαι.* At 11. prandium

eos, cum exeant, secum habere: *καὶ θηρῶντες μὲν, οὐκ ἂν ἀριστήσαιεν. ἢν δέ τι δεήσῃ ἢ θηρίου ἕνεκα ἐπικαταμεῖναι, ἢ ἄλλως ἐθελήσωσι διατρῖψαι περὶ τὴν θήραν — τὴν ὑστεραίαν αὖ θηρῶσι μέχρι δείπνου.* II. 1. Aorist., qvod vulgo non fiebat, ut tamdiu in venando morarentur; seqvitur etiam: hoc faciunt, ut, *ἐάν τι καὶ ἐν πολέμῳ δεήσῃ* etc. ut, si forte, si qvando acciderit etc. cfr. Cyr. 2. 2. 18, 3. 2. 29. (vid. ibid. Bornem.) 1. 6. 41, 2. 2. 17, 2. 1. 15. Ac tali modo Præsens, ubi res universe enuntiatur, Aorist., ubi res certo cuidam futuro tempori et homini adstricta et semel gerenda enuntiatur.

Perfectum autem hac in re ab Aoristo differt, qvod non tam actionem ipsam absolutam indicat, qvam tenorem conditionis, absolutam actionem consecutæ (cfr. supra), adeo ut participium adjectivi fere vim habeat. Complectitur igitur qvodammodo et vim Præsentis et Aoristi. Cyr. 1. 6. 41. *Ταύτας δὲ ἐγὼ λέγω εἶναι, ἢν τῶν στρατιωτῶν εὖ μὲν τὰ σώματα ἠσκημένα ᾖ, εὖ δὲ αἱ ψυχαὶ τεθηγμέναι, εὖ δὲ αἱ πολεμικαὶ τέχναι μεμελετημέναι ὦσιν.* Mem. 3. 8. 6. Num etiam *κόφινος κοπροφόρος* pulchrum qvid est? Omnino, respondet Soc., et scutum aureum turpe, *ἐὰν πρὸς τὰ ἑαυτῶν ἔργα ὁ μὲν καλῶς πεποιημένος ᾖ, ἡ δὲ κακῶς.* Eodem modo particip. perf. jungitur etiam vocabulo *τυγχάνειν.* cfr. Cyr. 2. 1. 27. etc.

Si jam ad Latinos respicimus, eundem etiam apud eos deprehendimus usum eademqve genera, qvamqvam non tam accurate et constanter distincta qvam apud Græcos: 1, & 2. Enuntiationes conditional. in modo Indicativo. 3, cum temporibus præsent. Conjunctiv. 4, cum temporib. conditional. (Imperfecto et Plusqvamperfecto Conjunctiv.). Ad primum genus pertinent eæ enunt., in qvibus, ut in Græcis, aliqvid pro vero sumitur (cfr. supra) et jungitur si eodem modo temporibus præsent. et Futuro absoluto; qvam rationem cum supra jam satis enucleatam esse sperem, pauca tantum Latini usus exempla dabo.

Atqve primum ubi rem, qvam sumit auctor, veram etiam esse persvasum habet. Ita in plenis atqve absolutis syllogismis hypothet., in qvibus conclusio fit in modo ponenti. Cic Inst. Rhetor. 1. 36. „Si summo opere sapientia petenda est, summo opere stultitia vitanda est; summo autem opere sapientia petenda est; summo igitur opere stultitia vitanda est." Ibid. 40. „Si peperit, virgo non est; peperit autem." Et in vulgari sermone, ubi conditionaliter aliqvid profertur, qvamqvam id re vera ita esse, certum jam ac persvasum habet auctor. Ita in re præterita cum Perfecto Cic. in Catil. 1. 12. „Etenim, si summi viri Saturnini et Gracchorum et Flacci et

superiorum complurium sangvine non modo se non contaminarunt, sed etiam honestarunt: certe mihi verendum non erat etc. De fin. 1. 21. 71. „Qvapropter si ea, qvæ dixi, sole ipso illustriora et clariora sunt, si omnia dixi hausta e fonte naturæ" etc. Ibid. 12. 41. „Qvodsi vita doloribus referta maxime fugienda est, summum profecto malum est vivere cum dolore." Ubi animadvertas velim partic. qvodsi, qvæ ita sæpissime usurpatur, ut ad antecedentia referatur, repetatqve, qvod antea jam est affirmatum, ut nimirum inde ad aliud rursus complexio fiat. Ita h. l.; antea enim jam dixerat Torqvatus, tali vita „nihil miserius dici aut fingi posse." Ibid. 14. 46. „Qvodsi vitam omnem perturbari videmus errore et inscientia, sapientiamqve esse solam, qvæ etc. — qvid est, cur dubitemus dicere, et sapientiam propter voluptatem expetendam" etc? Hisce enim verbis paucis reddit Torq., qvæ in antecedentibus uberius demonstrare conatus est, ut exinde ultimam ducat conclusionem.(*) In aliis autem locis qvod ad antecedent. non refertur, sed tantummodo transitioni inservit (cfr. Ernesti Clav. Cic.), remqve sæpe inducit, cujus veritas certa atqve indubitata omnibus videri debeat, ita tamen, ut vim qvandam et gravitatem addat orationi; Cic. de fin. 1. 18. 59. „Qvod si corporis gravioribus morbis vitæ jucunditas impeditur: qvanto magis animi morbis impediri necesse est?" Phil. 9. 1. „Qvodsi cuiqvam justus honos habitus est in morte legato, in nullo justior, qvam in Ser. Sulpicio reperietur." Huc pertinet etiam part. siqvidem, Græcorum εἴγε (cfr. supra.) Cic. Parad. 3. 1. 13. — „peccavit vero nihilominus, siqvidem est peccare tanqvam transilire lineas." Ter. And. 3. 1. 7. „Qvod ego audio! actum est, siqvidem hæc vera prædicat." Hinc etiam fit, ut sæpissime pro partic. causali usurpetur. Cic. de fat. 12. init. „Confectum negotium, siqvidem tibi concedendum est, aut fato omnia fieri" etc. Phil. 7. 5. „Repetenda (est) vetus illa severitas: siqvidem auctoritas senatus decus, honestatem, laudem dignitatemqve desiderat." Eandem potestatem sæpe accipit sola etiam particula si, ut Græcorum εἰ. Cic. Catil.

*) Eodem modo jungitur particula qvod etiam causalibus particulis qvia, qvoniam. Cic. Fin. 1. 20. 67 „Qvod qvia nullo modo sine amicitia firmam et perpetuam jucunditatem vitæ tenere possumus, etc." (ubi vid. Billerbek.) Ibid. 3. 18. 59. „Qvod qvoniam nunqvam fallitur (sapiens) in judicando, erit in mediis rebus officium." Sic etiam qvod qvi; Philip. 10. 4. „Qvod qvi ab illo abducit exercitum, et respectum pulcherrimum et præsidium firmissimum adimit reipublicæ;" ubi frustra Faërnius legendum arbitratur qvare, nec erat, cur de explicatione dubitaret Garaton. Atqve ita etiam in notissima illa obtestandi formula: qvod te -- oro. Ter. And. 1. 5. 54. Hec. 3. 2. 3. Virg. Aen. 6. 363.

1. 3. „Etenim qvid est, Catilina, qvod jam amplius exspectes, si neqve nox tenebris obscurare coetus nefarios, nec privata domus parietibus continere vocem conjurationis tuæ potest? si illustrantur, si erumpunt omnia?" cfr. Cat. 4. 1. 8. — Etiam pro qvod, post mirari, mirum est, indignari etc. Cornel. Conon 3. „Neqve id mirandum, si non facile ad credendum adducebatur, reminiscens" etc. „Qvid istuc tam mirum est, de te si exemplum capit!" Ter. And. 4. 1. 27. Sicut etiam qvid? si eandem sæpe vim habet ac qvid? qvod. — Cic. Finib. 2. 33. 109. „Qvid? si etiam bestiæ multa faciunt, duce sua qvæqve natura, partim indulgenter vel cum labore" etc. Ibid. 32. 105. „Qvid? si etiam jucunda memoria est præteritorum malorum?"

Deinde, ubi aliqvid pro vero sumitur, qvod, utrum ita esse putet is, qvi sumit, nec ne, minime indicat, sive nescit, sive scire nil curat; et deniqve hoc modo sæpius etiam sumitur, qvod ita esse dicentem minime putare, aut sententiarum contextus aut ipsius verba aperte produnt. Id quod sæpissime fit, cum, qvod alii pro vero affirmarunt, nosmet etiam refellendi causa verum sumimus, minime ita esse ipsi putantes. Cic. p. S. Rosc. 52. „Qvæ (misericordia vestra) si manet, salvi etiam nunc esse possumus. Sin ea crudelitas, qvæ hoc tempore in remp. grassata est, vestros qvoqve animos (id, qvod fieri profecto non potest) duriores acerbioresqve reddidit: actum est, judices." Manil. 22. „Hoc, si vos temere fecistis, et reipubl. parum consuluistis, recte isti studia vestra suis consiliis regere conantur; sin autem vos plus tum in republ. vidistis" etc. Fin. 28. 13. „Si summum bonum voluptas est, rectissime non putat." (Qvod longissime abest a sententia Ciceronis, sed sumit verum, qvod contenderat Epicurus.) De Nat. Deor. 3. 51. "Solem Deum esse Lunamqve, qvorum alterum Apollinem Græci, alteram Dianam putant. Qvodsi Luna dea est: ergo etiam Lucifer ceteræqve errantes numerum deorum obtinebunt: igitur etiam inerrantes." Liv. 9. 9. „Si qvid est, in qvod obligari populus possit, in omnia potest." Cic. p. Rosc, Am. 47. 139, 50. 145, 49. 142. Liv. 5. 52. Ex eodem genere est nisi, nisi forte, nisi vero, qvæ particulæ ironice ac dissimulanter usurpantur cum Indicat. Pro vero enim tum sumit, qvod verum esse minime arbitratur is, qvi loqvitur, nec dubitans nec incertus hærens. Cic. Cat. 1. 4. „nisi vero si qvis est, qvi, Catilinæ similes cum Catilina sentire, non putet." Ibid. 10. „nisi idcirco se facilius hiemem toleraturos putant, qvod nudi in conviviis saltare didicerunt." De Fato 11. „nisi forte volumus Epicureorum opinionem seqvi, qvi" etc. cfr. Cic. Cat. 4. 6. Mil. 32. 91. Liv. 21. 40. Cic. Rosc. Am. 29. 82.

Restat jam, ut inspiciamus, qvomodo Latini alterum genus conditional. enuntiationum inducant, qva in re breviores nobis esse licet, quum in universa ejus ratione exponenda in Græcis nimis forsan multi fuerimus. Atqve in hoc inprimis genere memineris non tam accurate et diligenter versari Latinos, qvam supra vidimus Græcos, nec tam adstrictum temporum esse usum, magis vero solutum et liberum. Proprium autem hujus generis in Latinis tempus est Futurum qvidem exactum, sed usurpantur interdum eadem fere ratione etiam Futurum absol. (ut dicunt) et Præsens et Perfectum Indicativ. Proprium diximus esse Futur. solum exact. Quum enim uno modo Latini Græcis essent inferiores, suum autem Conjunctivum temporum præsentium tertio generi, cui suum Optativum Græci, adsignassent, nihil aliud reliqvum fuit, qvam usus Futuri exacti, qvo illud incerti et futuri, qvod huic generi inesse supra diximus, indicarent. Sed in hac formarum inopia facile etiam factum est, ut ad liberiorem ceterorum temporum usum descenderent. Exempla vulgaris veriqve usus Futuri exacti hac in re h. l. addi opus non est, qvoniam qvævis fere pagina veterum scriptorum satis multa cuique dabit. Pauca tantum de Futuro abs. monebimus.

Verus itaqve Futuri absoluti usus in enunt. conditional. apud Latinos idem est ac apud Græcos. Usurpatur enim, ubicunqve futuri aliqvid pro vero sumitur. (cfr. supra.) Cic. de Fin. 1. 6. 20. „Nam, si omnes atomi declinabunt, nullæ unqvam cohærescent; sive aliæ declinabunt, aliæ suo nutu recte ferentur, primum erit hoc qvasi provincias atomis dare" etc. Veram sumit C. Epicuri sententiam, qvamqvam veram esse minime credit, eamqve refellit. Nihil incerti in futura cognitione positum verbis inesse potest. Cic. Mil. 38. „Nam qvi possum putare me restitutum esse, si distrahar ab iis, per qvos restitutus sum?" si certum est, fore ut, ab iis distrahar etc. D i s t r a h a r h. l. est Futur., non Præs. Conj.; et frustra in corrigendo laborarunt Ernesti, Schütz et alii. Atqve præcipue, ut in Græcis, in re, qvam in consilio, voluntate alicujus positam cogitat auctor, exitum rei non respiciens; facta enim et absoluta in experientiam cadit. Cic. Phil. 2. 22. „Omnia, qvæ postea vidimus, — si recte ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio." Rosc. Am. 4. „Hoc onus si vos aliqva ex parte allevabitis, feram, ut potero, studio et industria, judices" etc. Huc pertinet etiam usus Futuri, ut dicunt, secundi activi (Futuri in præsenti), sed propria sua vi. Cic. Rosc. Am. „Qvid recipis mandatum, si aut neglecturus, aut ad tuum commodum conversurus es?" Cato. 2. „Faciam vero Læli, præsertim si utriqve vestrum, ut

dicis, gratum futurum est." Ibid. 19. „Qvid igitur timeam, si aut non miser post mortem, aut beatus etiam futurus sum?" cfr. 22. 23.

Qvanqvam vero hic est verus ac primarius Futuri Absol. usus, tamen hoc tempus ita etiam usurpatum invenitur, ut non sine ratione ad alterum hoc genus etiam trahi posse videatur; i. e. qvæ Græci vulgo per Conj. enuntiant, rem ad incertam futuramqve cognitionem rejicientes, ea Latini sæpe, in sua formarum inopia, ad primum genus trahunt, perqve absol. Futur. inducunt, eoqve magis, qvod sæpe utrumqve genus inter se permutari potest, integra sententia, forma diversa. In qvo bene tamen teneas velim, alterius hujus generis vim per se non inesse Futuro absolut. Atqve quum Futur. exact. rem semper indicet gestam jam atqve absolutam, eandemqve habeat potestatem usumqve ac Græcorum Aorist., Futur. autem abs. exitum rei vel absolutam actionem minime significet, factum est etiam, ut hoc Futur. eandem sæpe vim habeat ac Græcorum Præsens Conj. i. e. ut rem, qvæ non absoluta cogitatur sed per aliqvod tempus continuata, atqve adeo qvasi tenorem actionis indicet, qva in re, ut supra monitum, inprimis respicienda est ratio inter actionem prodosis et apodosis intercedens. Cic. de Inv. 1. 4. 17. „Qvi autem alia malunt scribi a nobis, æqvi esse debent, qvod et scripta multa sunt, et scribentur fortasse plura, si vita suppetet." Liv. 21. 44. „Vobis necesse est fortibus viris esse, et — aut vivere, aut, si fortuna dubitabit, in proelio potius qvam in fuga mortem oppetere." Cic. Manil. 23. „Qvare etiam, si qvem habetis, qvi collatis signis exercitus regios superare posse videatur, tamen nisi erit idem, qvi se a pecuniis sociorum cohibere possit, non erit idoneus" etc. cfr. Rosc. Am. 37. 107, 49. 142. Phil. 12. 10.

Sed sæpe etiam Futur. absol. usurpatum invenias, ubi Futur. exact. jure exspectes; interdum qvoqve utrumqve tempus nullo discrimine simul occurrit. Atqve inprimis compositam formam Futuri exacti passivi minus qvam simplicem activi Latini adamasse videntur. Cic. Rosc. Am. 3. „Qvodsi aut caussa criminis aut facti suspicio aut qvælibet deniqve vel minima res reperietur, qvamobrem videantur illi nonnihil tamen in deferendo nomine secuti — postremo, si præter eam prædam, qvam dixi, qvidqvam aliud caussæ inveneritis: non recusamus, qvin" etc. Duo verba eadem sententia, alterum passivum in Futuro abs., alterum activum in Futuro exact. At ibidem 28. „Multa sunt falsa, judices, qvæ tamen argui suspiciose possunt; in his rebus si suspicio reperta erit, culpam inesse concedam." — Catil. 1. 13. „Qvodsi ex tanto latrocinio iste unus (Catilina) tolletur, videbimus fortasse ad breve qvoddam tempus cura et metu esse relevati." Liv. 3. 45. "Huic si vis afferetur, ego

4 *

præsentium Qviritium pro sponsa, Virginius pro unica filia, omnes Deorum hominumqve implorabimus fidem." Ter. And. 2. 4. 8. „Crede, inqvam, hoc mihi, Pamphile, nunqvam hodie tecum commutaturum patrem unum esse verbum, si te dices ducere." cfr. 2. 3. 21. Cic. de Fin. 1. 8. "Certe, inqvam, pertinax non ero, tibiqve, si mihi probabis ea, qvæ dices, libenter assentior."

Pro utroqve autem Futuro sæpe adhibetur Præsens Indicativ. Cic. Cat. 2. 3. „Hoc mallem secum suos milites eduxisset; qvi si hic permanent, mementote, non tam exercitum illum esse nobis, qvam hos, qvi exercitum deseruerunt, pertimescendos. At cap. 8. Futurum: „Sed hosce homines minime puto pertimescendos, qvod aut deduci de sententia possunt, aut, si permanebunt, magis mihi videntur vota facturi contra rempublicam" etc. Phil. 8. 2. „Consensus populi Romani, si nos langvescimus, debilitetur necesse est." Mil. 36. 99. „Nec vero si mihi eriperis, reliqva est illa tamen ad consolandum qverela, ut his irasci possim, a qvibus tantum vulnus accepero." Phil. 7. 9. "Omnia videbitis, Patres Conscr., nisi prospicitis, plena odiorum, plena discordiarum." De Fin. 2. 14. „qvos nisi redarguimus, omnis virtus — deserenda est." cfr. Rosc. Am. 43. 124, 53, 153. Phil. 5. 4. Liv. 1. 32. 7, 2. 40, 6. 15. Inprimis si qvis graviter aliqvid atqve acriter minaciterve vel pro imperio dicit, adeo ut confestim vel brevi fore rem exspectet, præcipue ad præsentem qvendam hominem. Catil. 1. 4. Cicero ad Catilinam: "Num negare audes? qvid taces? convincam, si negas." 2. 10. — qvi nisi exeunt, nisi pereunt, etiamsi Catilina perierit, scitote hoc in republica seminarium Catilinarium futurum." Ter. And. 1. 5. 9. „Qvod si fit, pereo funditus. 2. 1. 22. „Nunc adeo, ut tu sis sciens, nisi puerum tollis, jam ego hunc in mediam viam provolvam, teqve ibidem pervolvam in luto." At idem ibid. 5. 2. 19. "Verbum si addideris — Dromo!" Cornel. Nep. Epam. 4. "Tu, Micythe, argentum huic redde; nisi id confestim facis, ego te tradam magistratui."

Deniqve qværitur, qvem potissimum usum seqvantur Latini in sententiis universe enuntiandis, qvas, ad nullum certum tempus pertinentes, nos plerumqve in præsenti (præs. aorist.) proferimus, Græci autem semper fere per ἐάν cum Conj. (vid. supra). Sed Latinis in his major est temporum varietas, qvippe qvi rem modo ad præsens tempus (Præs. et Perf. in præsenti) trahunt, modo ad futurum (Futur. absol. et exact.). Et per se perinde sane sæpe est, utrum tale qvid tanqvam veram rem adeoqve jam cognitam, an qvæ futura experientia cognosci possit, pronuntiem.

Cic. Rosc. Am. 24. 66: "Magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusqve sangvis, ex qvo si qva macula concepta est, non modo elui non potest" etc. Phil. 3. 1. „Dies enim affert, vel hora potius, nisi provisum est, magnas sæpe clades." Parad. 3. 1. 7. „Histrio, si paulum se movit extra numerum, aut si versus pronuntiatus est syllaba una brevior aut longior, exsibilatur et exploditur." Rosc. Am. 24. 96. „Qvare hoc, qvo minus est credibile, nisi ostenditur, eo magis est, si convincitur, vindicandum." Invent. Rhetor. 1. 43. „Omnis argumentatio reprehenditur, si aut ex iis, qvæ sumta sunt, non conceditur aliqvod unum plurave" etc. Ibid. 45. „Enuntiatio vitiosa intelligitur, si aut præteritum qviddam dicemus, qvod velimus concedere" etc. 44. „Qvod pro credibili sumtum erit, id infirmabitur, si aut perspicue falsum erit" etc. Mil. 7. „Nisi forte magis erit parricida, si qvis consularem patrem, qvam si qvis humilem necaverit." Catil. 1. 13. „Ut sæpe homines ægri morbo gravi, cum æstu febriqve jactantur, si aqvam gelidam biberint, primo relevari videntur" etc. Attamen maxime in eo res posita est, ut indagetur, qvem in finem talem enuntiationem efferat auctor. Qvare facile patet, in legibus, morum vitæqve præceptionibus vulgo seqvi futur. Qvod cum non minus facile per se intelligatur, qvam freqventer legenti occurrat, minus opus est exemplis confirmare. (Attamen cfr. Lael. cap. 21). Sin autem, qvanqvam universe loqvens, rem tamen jam factam cognitamqve occulto notat auctor, præsentia tempora locum habent; unde fit etiam, ut usurpentur hæc tempora, ubi in propositione logica majori universe aliqvid enuntiatur, cui mox subnectatur adsumtio, in qva, qvod qvidem universe sumtum est, ad certum qvendam hominem vel rem adstringitur. Ter. And. 1. 2. 21. Simo ad Davum: „Tum, inqvit, si qvis magistrum cepit ad eam rem improbum, ipsum animum ægrotum ad deteriorem partem plerumqve applicat." His enim verbis dissimulanter carpit Davum, qvem ad recusandas nuptias filium excitasse, persvasum habet. Cic. de Fato 8. „Si enim verum est, qvod ita connectitur: Si qvis est oriente Canicula natus, in mari non morietur, illud qvoqve verum est: Si Fabius oriente Canicula natus est, Fabius in mari non morietur." Ibid 8. „Si cui venæ sic moventur, is habet febrem." Nec minus variat usus in narrationibus morum consvetudinumqve populorum, descriptionibus terrarum et locorum etc. (ubi in Græcis constans est usus Conjunctivi cum ἐάν) atqve omnino, ubi qvæ vulgo fieri solent, enarrantur. Cæs. B. G. 6. 19. (qvo in libro mores Gallorum Germanorumqve exponuntur.) „Hoc mortuo, si qvi ex reliqvis excellit dig-

nitate, succedit; at, si sunt plures pares, suffragio Druidum adlegitur." Tacit. German. 20. 9. „Heredes tamen successoresqve sui cuiqve liberi; et nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patrui, avunculi." Ibid. 16. 7, — „et, si qvando hostis advenit, aperta populatur" etc. Caes. B. G. 6. 19. — „Quum pater familiæ, illustriori loco natus, decessit, ejus propinqvi conveniunt, et de morte si res in suspicionem venit, de uxoribus in servilem modum qvæstionem habent, et, si compertum est, igni atqve omnibus tormentis excruciatas interficiunt." Ibid. 13. — "et, si qvod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, si de finibus controversia est, iidem decernunt; præmia poenasqve constituunt, si qvi aut privatus aut publicus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt." Ibid. 27. „neqve qvietis caussa procumbunt, neqve si qvo adflictæ casu conciderint (Alces), erigere sese aut sublevare possunt." Tacit. G. 21. 6. „Notum ignotumqve, qvantum ad jus hospitis, nemo discernit. Abeunti, si qvid poposcerit, concedere moris." Ibid. 11. 2. „Coeunt, nisi qvid fortuitum et subitum inciderit, certis diebus, cum aut inchoatur luna, aut impletur." — Ceterum ordinem ac rationem temporum his etiam locis servari, monere vix opus est. Itaqve in universum Præs. et Fut. abs. Græcorum Præsenti, Perf. et Futur. exact. Aoristo Conj. respondet, ita tamen, ut, qvamqvam vulgo in usum hæc promiscue vocari videntur, haud tamen sciam, an, si qvid fortuitum, insperatum, insolitum enuntiatur, Futur. exact. potius usurpetur, qvod tempus qvoqve in verbis activis sæpius occurrit. (vid. supra.) —

Sed satis jam et forsan plus satis grammaticæ subtilitatis atqve argutiarum. Qvare sufficiant hæc, qvamqvam intacta restant posteriora duo genera, multaqve insuper erant, qvæ de priori utroqve atqve inprimis de ea ratione, qvæ inter prodosin et apodosin intercedat, essent monenda. Qvæ cum hujus scriptionis modus non capiat, alio tempore, si Deo placebit, dabimus. Nunc autem hac prolusione Rector scholæ indicit publicum examen, iis diebus eoqve ordine, qvem proxima tabula exhibet, habendum, qvod ut, qvotqvot sunt litterarum studiosæqve juventutis fautores, freqventes celebrare velint, officiose rogamus.

Examens-Tabel 1830.

Dage.	Formiddag.	Eftermiddag.
1ste Dag, Mandag den 5te Juli.	4 Klasse *b* Græsk. 4 — *a* Latin. 2 — Geometrie. 1 — *b* Latin.	4 Klasse Hebraisk. 4 — *a* Historie og Geographie. 1 — *b* Arithmetik. 1 — *a* Latin.
2den Dag, Tirsdag den 6te Juli.	4 Klasse *b* Arithmetik. 3 — Græsk. 2 — Latin. 2 — Norsk.	4 Klasse *a* Norsk. 3 — Antiqviteter. 3 — Historie og Geographie. 2 — Fransk.
3die Dag, Onsdag den 7de Juli.	4 Klasse *b* Latin. 4 — *a* Græsk. 2 — Historie og Geogr. 1 — Norsk.	
4de Dag, Torsdag den 8de Juli.	4 Klasse Oversættelse af Fransk og Tydsk. 2 — Latin. 1 — *a* Arithmetik.	4 Klasse Antiqviteter. 3 — Norsk 2 — Religion. 1 — *b* Historie og Geographie.
5te Dag, Fredag den 9de Juli.	4 Klasse *b* Religion. 3 — Fransk. 1 — *b* Norsk. 1 — *a* Historie og Geogr.	4 Klasse *a* Geometrie. 3 — Græsk. 2 — Historie og Geographie. 1 — *a* Historie og Geographie.
6te Dag, Löverdag den 10de Juli.	3 Klasse Latin. 2 — Geometrie. 2 — Græsk. 1 — *b* Historie og Geogr.	

Dage.	Formiddag.	Eftermiddag.
7de Dag, Mandag den 12te Juli.	4, 3, 2 Klasse Latinsk Stiil. 1 — *b* Geometrie. 1 — *a* Religion.	4 Klasse *a* Norsk. 4 — *b* Fransk. 3 — Geometrie. 1 — *b* Græsk.
8de Dag, Tirsdag den 13de Juli.	4 Klasse *a* Græsk. 3 — Religion. 1 — *b* Græsk.	4 Klasse *a* Arithmetik. 3 — Tydsk. 2 — Latin. 1 — Kalligraphie og Tegning.
9de Dag, Onsdag den 14de Juli.	4 Klasse *b* Tydsk. 4 — *a* Religion. 2 — Arithmetik. 1 - *a* og *b* Kalligr. og Tegning.	4 Klasse *b* Historie og Geographie. 3 — Norsk. 3 — Tydsk. 2 — Norsk.
10de Dag, Torsdag den 15de Juli.	4, 3, 2 Klasse Norsk Stiil. 1 — *b* Religion. 1 — *a* Geometrie.	4 Klasse *a* Historie og Geographie. 4 — Engelsk. 2 — Græsk.
11te Dag, Fredag den 16de Juli.	4 Klasse *a* Tydsk. 3 — Hebraisk. 2 — Arithmetik.	4 Klasse *a* Fransk. 2 — Religion.
12te Dag, Löverdag den 17de Juli	4 Klasse *b* Norsk. 3 — Arithmetik. 2 — Fransk.	4 Klasse *b* Geometrie. 4 — *a* Latin.

Mandagen den 19de Juli Kl. 3 Eftermiddag pröves Disciplenes Fremgang i Vocalmusik.

Examen begynder hver Formiddag Kl. 9 og hver Eftermiddag Kl. 3.